

te: quam equidem & in Gnosio Epimenide simili modo accipio. Puerum astu & itinere fessum in specu septem & quinquaginta dormisse annis: rerum faciem mutationemq; mirantem, velut postero experrectum die: hinc pari numero dierum senio ingruente, ut tamen in septimum & quinagesimum atque centesimum uita duraret annum. Feminarū sexus huic malo videtur maxime opportunus, conuersione uulnus: qua si corrigitur, spiritus restituitur. Huc pertinet nobile illud apud Gracos uolumen Heraclidis, septem diebus fæminæ exanimis ad vitam reuocatae. Varro quoq; autor est, xx. uiris agros diuidentibus Capuae, quendam qui efferretur feretro, domum remeasse pedibus: Hoc idem Aquini accidisse. Romæ quoque Corfidium materteræ sue maritum funere locato renixisse, & locatorem funeris ab eo elatum. Adiicit miracula, qua tota indicasse conueniat. E duobus fratribus equestris ordinis Corfidio maiori accidisse, vt videretur expirasse, apertoq; testamento recitatum hæ redem minorem funeri institisse: interim eum, qui videretur extictus, plaudendo concinisse ministeria, et narrasse à fratre se uenisse, commendatam sibi filiam ab eo. Demonstratum præterea quo in loco defodisset aurum nullo concio, & rogasse vt ijs funebribus que comparasset, efferretur. Hoc eo narrante, fratris domestici pro pere annunciauere exanimatum illum: & aurum ubi dixerat repertum est. Plena præterea vita est his vaticinijs, sed non conferenda, cum sepius falsa sint, sicut ingenti exemplo docebimus. Bello Siculo, Gabienus Cæsar's classiarius fortissimus, captus à Sexto Pompeio, iussu eius incisa cervice, & vix cohærente, iacuit in littore tota die. Deinde cum adueperasset, cum gemitu precibusq; congregata multitudine petiit, vti Pompeius ad se veniret, aut aliquem ex charis mitteret: se enim ab inferis remisum, habere quæ nunciaret. Misit plures Pompeius ex amicis, quibus Gabienus: Inferis dijs placere Pompeij causas & partes pias, proinde euentum futurum quem optaret, hoc se nunciare iussim. argumentum fore ueritatis, quod peractis mandatis, protinus expiraturus esset. Idque ita evenit. Post sepulturam quoque visorum exempla sunt: nisi quod naturæ opera, non prodigia conseruantur.

## De mortibus repentinis. CAP. LIII.

**I**N primis autem miraculo sunt atq; frequenti mortes repentinae, hæc est summa uitæ felicitas, quas esse naturales docebimus. Plurimas prodidit Verrius: nos cum delectu modum seruabimus. Gaudio obiere præter Chilonem, de quo diximus, Sophocles & Dionysius Sicilie tyrannus, uterque accepto tragicae victoriae nuncio. Mater pugna illa Camensi, filio incolumi uiso contra falsum nuncium. Pudore Diidorus sapientiae dialectica professor, lusoria questione non protinus ad interrogaciones Stilbonis dissoluta. Nullis evidentibus causis obiere, dum calciantur matutino duo Cæsares, prator & prætura perfun-

ctus dictatoris Cæsar's pater: hic Tisus exanimatus, ille Roma. Q. Fabius Maximus in consulatu suo pri die Kalend. Ianuarias: in cuius locum Rebilus pacifissarum horarum consulatum petiit: Item C. Vulcatius Gurges senator. Omnes adeo sani atq; tempestui, ut de progrediendo cogitarent. Q. Aemilius Lepidus iam egrediens incusso pollice limini cubiculi. C. Aufidius egressus cum in senatum iret, offenso pede in comitio. Legatus quoq; qui Rhodiorum causam in senatu magna cū admiratione orauerat, in limine curiae protinus expirauit progreedi uolens. Cu. Bebius Pamphilus, prætura et ipse functus, cū à pueru quæsisset horas. A. Pompeius in capitolio cum deos salutasset. M. Iuuentius Talua C O S. cum sacrificaret. C. Seruilius Pansa cum staret ī foro ad tabernam hora diei secunda, in P. Pāsam fratre innixus. Bebius index dum uadimonium differri inbet. M. Terentius Corax dum tabellas scribit in foro. Necnon & proximo anno, dum consulari uiro in aurē dicit, eques Romanus, ante Apollinem eboreum, qui est in foro Augusti. Super omnes C. Iulius medicus, dum inungit, specillum per oculum trahens. Iam Manlius Torquatus consularis cum in cena placentam appeteret. L. Durius medicus Valla, dum mulsi potionē haurit. Ap. Saufius, cū à balineo reuersus mulsum bibisset, ouumq; sorberet. P. Quintius Scapula cū apud Aquilium Gallum cœnaret. Decimus Saufius scriba cū domi sua pranderet. Cornelius Gallus prætorius & T. Aetherius eques Ro. in Venere obiere. Et quos nostra adnotauit actas, duo equestris ordinis in eodem Pantomimo Mythico tum forma præcellente. Operosissima tamen securitas mortis in M. Ofilio Hilario ab antiquis traditur, comædiarum histrione. is cum populo admodum placuisse natali die suo, coniuuiumque haberet, edita cena calidam potionem in pultario poposcit, simulque personam eius diei acceptam intuens, coronam ē capite suo in eam transtulit, tali habitu rigens nullo sentiente, donec accubantium proximus tepercire potionem admoneret. Hæc felicia exempla: at contra miseriarum innumera. L. Domitius clarissima gentis apud Massiliam uictus, Corfinij captus ab eode Cæsare, ueneno poto propter tedium uitæ, postq; liberat, omni ope vt viueret innixus est. Inuenitur in actis, Felice Russato auriga elato, in rogum eius vnum ē fauentibus iecisse se: friuolum dictu, ne hoc glorie artificis daretur, aduersis studijs copia odorū corruptum criminantibus. Cum ante non multo M. Lepidus nobilissima stirpis, quem \* euenti anxietate \* diuortij diximus mortuum, flammea ui ē rogo electus, recondit propter ardorem non potuisse, iuxta sarcimentis alijs nudus crematus est.

## De sepultura.

## CAP. LIV.

**I**Tsum cremare, apud Romanos nō fuit ueteris isti tuti: terra cōdebandur. At postq; longinquis bellis obrutus erui cognouere, tunc istitutum. Et tamen multæ familie prijcos seruauere ritus: sicut in Cor b ij nelia